

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
SCARIFICATIONE
QVATENVS REMEDIO
AD REGRESSA EXANTHEMATA
ITERVM PRODVCENDA

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS.
ET
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOS. NATVR. PROFESSORE PVBL. ORDINAR.
IMPER. ACADEM. NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME OBTINENDIS

D. DECEMB. A. S. R. M DCC L.
H. L. Q. C.

IN REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

DAVID GVILIELMVS KRAVSE

MEGA - GLOGOVIA - SILESIUS.

HALAE MAGDEBURGICAE, TYPIS KITTLERI

DISTRICTIO NAVAGARTIS MEDICO
SCARIFICATIONE
AD REGRESSA EXANTHEMATA
HIBERNI PRODACENDA

CHRISTIANI MEDICORVM ORDINIS CONSENSU
PROGRADA DOCTORIS
J. VANDER HILT PACHNERO

PROGRADA DOCTORIS
SUMMISSA IN MEDICO SCIENTIA ET
PRACTICA DOCTORUM TUDORUM DOCTORIS
IN MEDICO LIBERICIVANIA
DAVID GALTUS KRABZE



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
SCARIFICATIONE
QVATENVS REMEDIO AD REGRESSA
EXANTHEMATA ITERVM PRODVENDA.

PROOEMIVM.



Maximi sane momenti illa doctrina est, in qua de variis remediis ad sanitatem partim conseruandam, partim denuo reparandam, seu morbos propellendos, agitur. Tota enim medicina practica quum

A 2

circa

circa varios modos suppeditandos versetur,
quibus sanitati & praesenti, & amissae consuli
possit: quilibet facili negotio intelliget, ean-
dem remediis non posse carere. Erit adeoque
illa doctrina artis salutaris pars fere princeps,
quae diuersi generis remedia in se complecti-
tur, ad tuendam sanitatem praesentem, & la-
befactatam iterum redintegrandam. Quae
cum ita sese habeant, omnem operam da-
tam esse existimares, ad hancce doctrinam,
medicinae practicae adeo necessariam, ita
excolendam, ut illa reliquas artis medicae
partes certa riteque explorata rerum veritate
supereret. Verum enim vero si fateri liceat,
quod res est, nullam fere medicinae partem
magis incertam, magisque obscuram depre-
hendes, quam quae remediorum ad sanitatem
& morbos commendatione constituitur.
Quam misera est facies materiae medicae?
Quam lubrico fundamento innituntur virtu-
tes

PROOEMIVM.

S

tes corporum naturalium , quae ibidem praedicantur ? Nondum eo ventum est in eorundem analysi , ut distinete intelligere liceret , quid per ipsorum essentiam ac naturam possibile foret , quando intra corpus humanum deueniunt ; neque huius natura perfecte explorata est ; nec quibuscunque obseruationibus practicis indubitata fides dari potest : ut adeoque parum mireris , quare unum idemque remedium , duobus aegris & eodem morbo decubentibus datum , iuverit unum , nocuerit alteri . Atque similis conditio quoque est illorum remediorum , quae ex fonte chirurgico hau- riuntur . Dextre uti manibus nosse ; cum emolumento quodam aegri operationem quandam perfecisse , & tamen ignorare , an huic , vel casui cuidam felix iste euentus tribui debeat ? haec est natura Chirurgiae modernae . Exemplo huius rei esse potest ,

A 3


inter

inter alias operationes chirurgicas, *Scarificatio*,
qua ad exanthemata & tollenda & praeca-
uenda uti, fere solenne est. Quantopere
autem id a vero alienum sit, ex praesenti
Dissertatione inaugurali dilucide adparebit.
Ne vero huic tractationi certa principia, con-
uenienti ordine inter se collocata, desint,
rei ipsius natura postulat, ut prius de cute
eiusque affectionibus agatur, deinde exan-
thematum indoles consideretur, tandemque
colligatur, quid hic *Scarificatio* valeat? ubi-
que in consilium vocata experientia, fidissima

illa veritatis magistra. Faxit Deus
feliciter!



§. I.



§. I.

Cutis, velamentum illud, quo uniuersus perimenter corporis humani obtegitur, constat ex fibris muscularibus, largissime intertextis nervis, vasis sanguineis, lymphaticis, serosis. Comparet porro in cute series cellularum plus minusue repletarum adipe, atque in illius superficie exteriori deprehenduntur prominentiae quaedam, quas *papillulas* nominare solent Anatomici. Hae, pro diuerso cutis loco, partim ad modum pyramidis mox eminentioris, mox breuioris, partim vero instar villorum foraminulis insistunt, natis ex corpore quodam mucoso, retis fabricam ostendente, quod nomine *corporis reticularis MALPIGHII* insignire moris est. Insunt praeterea cuti *glandulae*, haud destitutae suis ductibus excretoriis, quae modo *miliares*, modo *sebaceae* audiunt, prout nempe humorem mox paullo spissum, & sebo aliquantum similem, eructant, uti eiusmodi

Observatio.



modi quid post aurem, in apice nasi, atque in locis capillatis obseruare licet; mox vero magis tenuem & fluidiorem materiam fundunt, quemadmodum tale quid in reliquis cutis locis contingere solet. Contegitur tandem cutis exterior superficies a membranula quadam per quam tenui, *cuticulac seu epidermidis* nomine notata, ex squamis composita, neruis & vasis omnis generis orbata, sulcos possidente, & poris gaudente cum cute communibus, qui ab illius squamis prorsus fere teguntur. De quibus omnibus conferri merentur, HEISTERVS *Compend. anat.* p. 68. seq. R VYSCHIVS *Thes. anat.* p. 16. n. 71. Aduers. anat. Dec. III. n. 8. pag. 15. 24. 28. BOER-HAAVE *Institut. med. de functione cutis.* WINSLOW *Anatom. Tom. III.* p. 395. seq. GARENGEOT *Splanchnolog. de Cute.*

§. II.

Vasa cuius-
sunt arte-
riae & ve-
nae.

Ex physiologicis constat, fluida quaecunque in corpore humano viuo intra sua vasa ita agitari, ut delata ad partes quascunque solidas iterum redeant ad cor, atque inde iterum eo propellantur, unde reuertebantur; illorum tamen parte quadam per excretiones ex corpore exterminata. Duplicis ergo generis *vasa* erunt in corpore humano: alia nempe, quae fluidum ad partes solidas devehunt, alia vero, quae illud inde receptum ad cor deferunt; erunt adeoque *arteriae & venae*. Sed cutis texturam ingrediuntur *vasa sanguinea, lymphatica, se-*
rora
ibom

DE SCARIFICAT. REGRESSA EXANTHEMATA REVOCANTE. 9

rosa (§. antec.). *Haec igitur vasa et ad arterias, et ad venas pertineant oportebit.*

§. III.

Docet porro Physiologia, *glandulas esse organa, in quibus lympha et serum a sanguine secernuntur. Quum itaque et cuti insint glandulae (§. I.), hinc lympham et serum a sanguine ibidem secerni, necessario sequitur.*

§. IV.

Per cutim continuo exhalare materiam fluidissimam, *Vasa serimo eandem quoque, quando sudamus, guttatum ex corpore stillare, et Physiologia praecepit, et quotidiana experientia quemlibet, ad semetipsum satis adtentum, docet. Unde non potest non confici, dari in cute vasa serum excernentia.*

§. V.

Hic ordo naturae constans est, ut in partibus corporum animalium, quas vasa excernentia ingrediuntur, totidem imo plura quoque vasa absorbentia adsint: id quod in physiologicis multis experimentis euincitur. Quia ergo in cutim vasa excernentia sese insinuant (§. anteced.): quin eadem etiam vasibus absorbentibus gaudeat, dubitari nequit.

B

Atque

Atque inde videre licet, quare topica, ad cutim applicata, effetum quoque edant in partibus paullo profundius sitis. Ita unguentum de Arthanita, regioni epigastricae applicatum, vomitum saepius prouocat, et hypogastrio inunctum aluum purgat, quod sine vasis absorbentibus vix fieri posset. Ut remedia externa discutientia, eademque in inflammationibus partium internarum multum valentia, nec non iunctiones mercuriales, hoc loco taceam, quae tantam non possent exercere efficaciam, cute vasis absorbentibus destituta.

§. VI.

Observatio. Docuit experientia, loco sudoris ex cute promanasse liquidum subrubri coloris. *vid. Thomas BARTHOLINVS in Histor. anatom. rario. Cent. IV. Histor. LXII.* Neque minus in exemplis heeticorum sudores lymphatici obseruantur, quos *colliquatiuos* dicere solent.

§. VII.

Continuas vasorum sanguinorum lymphaticorum & serofororum in corte. Quum in corpore humano nullum aliud liquidum, rubro colore tintum, praeter sanguinem, inueniatur: atque per vasa serifera cutis liquidum subrubrum, imo lympham transisse obseruatum sit (§. antec.); manifeste patet, *vasa sanguinea, lymphatica et serosa, consideranda esse tanquam vasa continua, inter se communicantia*, ita, ut ampliata diametro vasorum seriforum cutis, eadem et lympham et sanguinem transmittant.

§. VIII.

DE SCARIFICAT. REGRESSA EXANTHEMATA REVOCANTE. II

§. VIII.

Quando cutis paullo fortius fricatur, eandem tum in illis quoque locis rubescere obseruabis, quae antea pallebant, & vasa sanguinea ibi fieri magis conspicua, ubi sensibus vix percipi poterant, neque minus ruborem in cute produci deprehendes, facta illius per ignem ustione, vel adplicatis ad illam corporibus, quae instar fali- um agunt, aut quae eandem vulnerant.

§. VIII.

Ex §. anteced. necessario nunc sequitur: *fieri posse, ut Quid inde vi externa ad cutim admota, sanguis illius vasa copiosius sequatur. intret, ea magis distendat, imo ad ipsa vasa lymphatico- serosa penetret.*

§. X.

Exanthemata vocantur vel *tubercula*, vel *pustulæ*, Exanthe-
vel *vesiculae*, vel *maculæ*, quae in cutis superficie externa marum de-
proveniunt. Sunt vero *tubercula* tumores parui, duri, finitio.
quorum bases non totum latus partis, cui insident, oc-
cupant. *Pustularum* nomine veniunt tumores parui,
molles, quorum bases non per totum aequa partis latus,
cui inherent, diffunduntur. *Vesiculae* porro adpellan-
tur *pustulæ* diaphanae, seu transparentes. *Maculæ*
tandem audiunt colores cutis per interstitia distincti, sed
diuersi

diuersi ab illo colore, quo gaudet cutis subiectorum sa-
nitate fruentium.

§. XI.

*Quid ex-
anibemata
chronica
& acuta.* Ex pathologicis constat, dari morbos, quorum alii semper intra statutum quoddam tempus sponte solun- tur, alii vero minus. Piores dici solent *morbis acutis: po-*
steriores autem chronicis. Inde iam simul intelligere licebit, quid *exanthematum vel acutorum, vel chronicorum* nomine venire debeat.

§. XII.

*Exanthe-
matum
maligno-
rum & be-
nignorum
definizio.* Docet porro Pathologia, morbos huius quoque indolis esse, ut horum quidam suis exhalationibus, in aliud corpus sanum transeuntibus, (neglecta tamen omni praeseruatione,) eidem noceant, similem in illo effectum producendo; alii autem non ita faeniant. Illi *morborum malignorum*; hi vero *benignorum* nomine insigniuntur. Ex quo adeoque iam patet, quid per *exanthemata ma-
ligna & benigna* intelligendum sit.

§. XIII.

*Scholion
generale.* Neminem genuinis principiis pathologicis imbutum fugit, omnes exanthematum species, singulorumque differentiam specificam, hisce inniti fundamentis, ut illa aut typum prae se ferant morborum vel chronicorum,
vel

DE SCARIFICAT. REGRESSA EXANTHEMATA REVOCANTE. 13

vel acutorum; aut indolem habeant morborum modo malignorum, modo benignorum; aut porro consideranda sint tanquam effectus, qui cum modo dictis morbis connectuntur; aut quia tandem cuti certarum modo partium inhaereant. Nostrum est, in praesenti Dissertatione evincere, quid scarificatio in genere valeat, ad regressa exanthemata, quaecunque etiam illa fuerint, iterum producenda? Cui scopo quum theoria generalis exanthematum sufficiat, eandem solam hoc loco suppeditabimus, consulto omissis specialioribus, ne in supervacaneam molem tractatio praesens excrescat.

§. XIV.

*Exanthematum quoruncunque ortus sine fluidi ad Genesis exanthematum in
vasa cutanea notabiliter perdurante nimia determinatione, ex antebe-
horumque ultra modum facta diffensione, concipi nequit. genere.
Etenim exanthemata sunt vel tubercula, vel pustulae, vel
vesiculae, vel tandem maculae, quae in cutis superficie
externa proveniunt (§. X.). Sed tubercula, pustulae
et vesiculae in eo inter se conueniunt, quod sint tumores
(§. cit.); adeoque in singulis adsint eminentiae cutis, seu
cutis in quibusdam punctis elevata adpareat. Quod ut
fieri possit, necesse erit, ut materia quaedam fluida ibi;
dem coacervata perduret. Hinc opus est, ut fluidum
ad vas a cutanea validius determinetur, eaque ultra mo-
dum distendat, & vasa cutis in hoc statu aliquantulum*

perdurent: id quod in cute possibile esse docent §§. II. VII. IX. Quum tandem macularum praesentia ex colore cutis differente ab illo, quo haec tincta est in subiectis sanis, distincto tamen per interstitia, aestimetur (§. X.): ideo requiritur, ut per epidermidem materia quaedam transpareat, & insolitus inde color cutis nascatur. Quare vasa subcutanea epidermidem arctius contingant, atque in hoc statu per aliquod notabile tempus permaneant, oportet. Quod iterum sine vasorum cutaneorum nimia & perdurante distensione, a fluido facta, fieri nequit. Tuberculorum igitur, pustularum, vesicularum & macularum, adeoque exanthematicum quorumcunque ortus, sine fluidi ad vasa cutanea potenti determinatione, horumque inde necessaria valida distensione notabiliter durante, concipi nequit. Q. e. d.

Adprime haec conueniunt cum obseruatis. Qui cacochymiam alunt in corpore; qui caussas crebro admittunt potenter suppressae transpirationis: illi morbos exanthematicos modo chronicos, ut scabiem, modo acutos, ut febres exanthematicas, concipere obseruantur. Hoc enim modo sequitur stasis fluidi in vasibus cutaneis, prout in pathologicis docetur. Atque haec vim caussae obtinet, ad patrandam fluidi in vasibus cutaneis nimiam coaceruationem, horumque inde insimul pendentem validam et perdurantem distensionem, quemadmodum id mox clarius patet. Per experientiam porro constat, maculas scorbuticorum, illorumque qui febre vel scarlatina, vel petechiali decum-

DE SCARIFICAT. REGRESSA EXANTHEMATA REVOCANTE. §

decumbunt, rubro colore esse praedita, in liuidum sensim sensimque vergente. Potestne vero id fieri sine sanguine etiam ad vasa cutis serifera penetrante? Quae quantum inde distensio-
nem patientur, perquam facile intelligere licet.

§. XV.

Quia morbi fluidorum dicuntur, quatenus fluidis *Exanthe-*
inhaerent (per princip. Patholog.); atque ad generanda *mata*
exanthemata requiritur fluidorum notabiliter perdurans *bi-*
erunt mor-
nimia determinatio ad vasa cutanea, horumque inde
producta distensio (§. anteced.), certa adeoque tum fluidis inhaeret adfectio: hinc iam necessario sequitur,
morbis fluidorum adnumeranda esse exanthemata.

Neque ideo quis existimer, ac si partes solidae praesentibus ex-
anthematibus nihil patientur. Non dari morbos simplices in
corpo, sed compositos, quotquot in eodem nascuntur, Pa-
thologia praecepit. Necesse enim est, ut ob arctissimum, quem
singulae partes corporis humani inter se alent, nexum, una parte
adfecta, et reliquae simul adficiantur, atque ortus prius in flu-
idis morbus, ad partes quoque solidas propagetur. Id quod eo
luculentius in exanthematibus adparet, vt pote quae tandem
sponte terminantur vel per suppurationem, vel per exsiccationem,
vbi cutis et cuticula necessario soluuntur,

§. XVI.

16 DEDICATIO IN AVGVRALIS MEDICA,

§. XVI.

Quid stasis
ad ortum
exanthe-
matum?

Exanthematum ortum stasis fluidi in vasis cutaneis
praecedere, illusque natis haec magis increscere debet. Ad exanthematum enim ortum requiritur, ut ad vasa cutanea fluidum valide determinetur, haec inde ultra modum distendantur, atque in hocce statu notabiliter perdurent (§. XIV.). Quae omnia ut fieri possint, oportebit, ne fluidum ex vasis cutaneis, utpote supra modum distendendis, cito pereat, quounque id etiam modo fiat, siue per actionem vasorum cutis excernentium (§. IV.), siue absorbentium (§. V.), impeditam. Hinc fluidum in vasis cutaneis necessario quiescat, seu, quod idem est, erit in stasi. Q. e. p.

Quum tandem a perdurante vasorum distensione
haec sensim sensimque debilitentur (per princip. Patho-
log.), eorumque idcirco actio in fluida successiue immi-
nuatur: fluida tum tardius per vasa transibunt, illorum-
que quies augebitur, adeoque stasis magis increset.
Q. e. a.

Cum singulis hisce consona quoque deprehenditur esse expe-
rientia. Sic pustulae scabie infectorum de die in diem incre-
scere obseruantur, donec illarum spontanea solutio contingat,
destructis nimirum cute et cuticula, vel per succendentem ex-
siccationem, vel per corrosionem a fluido stagnante factam,
quod

DE SCARIFICAT. REGRESSA EXANTHEM. REVOCANTE. 17

quod acredinem conceperat, vel per illius fermentationem apostematoideam. Neque secus se res habet cum exanthematibus acutis malignis, e. g. variolis, morbillis, purpura, petechiis, &c. vtpote quae, subortis vel suppuratione, vel desquamatione epidernidis, salutariter decurrunt.

§. XVII.

Exanthemata benigna mora temporis fieri possunt Exanthemata maligna; atque eorum malignitas maior erit, quando ex massa humorum uniuersa iam putrescente nascuntur; tandem in maligna demque ad maximum malignitatis gradum evoluuntur, mutatio, febre quadam acuta ipsis accidente. Etenim opus est stasi fluidorum in vasis cutaneis, ortum exanthematum diversi gradus. praecedente, quae magis augetur, illis semel natris (§. antec.). Ex stasi autem fluidorum in vasis tandem oriri posse putrefactionem, hancque esse modum, quo morbus benignus indolem maligni (§. XII.) adipiscatur, Pathologia docet. Quin igitur ex benignis exanthematibus mora temporis maligna fiane, dubitari nequit.

Q. e. p.

Quando porro ex massa humorum uniuersa iam putrescente exanthemata nascuntur: tunc fluida, in vasis cutaneis iam putrescentia, stasin concipient, ideoque et celerius et validius motum putrefactorium inibunt. Quia vero putrefactio in fluidis orta modus naturae ex-

C

istit,

istit, generandi morbos malignos (per princip. Patholog.); hinc sub enarrata conditione exanthemata quoque maligniora fiant, necesse erit. Q. e. s.

Quum denique in omni febre motus humorum progressius auctus obtineat, isque in acutis in eminentior gradu adsit, unde fluida valide resoluuntur (per princip. Patholog.): tum simul accidente putrefactione fluidi, eius resolutio maior fiat, necesse erit. Maior igitur malignitas fluidis conciliabitur, atque tum nata exanthemata ad maximum malignitatis gradum peruenient. Quare et tertium propositionis membrum verum erit.

Probe haec quoque conueniunt cum experientia. Hac enim magistra edocemur, varos, exanthemata illa chronica faciei, in initio sui ortus ne minimam quidem malignitatis notam prae se ferre, succedente autem tempore exulcerari, latus serpere, atque eandem prauitatis indolem aliis quoque communicare, ideoque maligna fieri. Corpora scabie inquinata corruptos alunt humores, atque haec exanthemata vix nata statim pruriunt, serpunt, in aliorum corpora per contactum trans-eunt, et successu temporis quoad hanc suam indolem malignam magis magisque increscunt. Eodem se modo res etiam habet cum maculis scorbuticorum. Certum denique est, quam quod certissimum, quod nullum exanthematum genus tam facile suam malignitatem ad aliena corpora transmitat, quam febres malignae acutae exanthematicae, e. g. purpura, variolae, mor-

DE SCARIFICAT. REGRESSA EXANTHEM. REVOCANTE. 19

morbilli, etc. Imo in ipsis scorbuticis vel scabie laborantibus, quando febre quadam acuta corripiuntur, exanthemata multo malignorem indolem nancisci deprehenduntur.

§. XVIII.

Exanthemata regredi dicuntur, quando subito dispa- *Quid re-*
rent, et aegri peior status inde enascitur: iterum vero *gredi &*
producuntur, si denuo in cutis superficie comparent, *produci*
exanthe-
mata?
statu aegri in melius vergente.

§. XIX.

Quando exanthemata regreduntur, tunc *vasa cu-* *Adficiō*
tanea constringi, et fluida exinde versus interiora meare *vasorum*
debent. In exanthematibus autem iterum produc̄tis *& fluidi in*
cutanea denuo relaxentur, et fluida versus cutis super- *regressis &*
ficiem plus dirigantur, oporet. Ad ortum enim exanthe- *productis*
matum requiritur, ut fluidum ad vasa cutanea vehemen- *exanthe-*
ter determinetur, haec inde ultra modum distendantur, *matibus.*
atque in hoc statu notabiliter perdurent. (§. XIV.).
Quando vero exanthemata regreduntur, tunc subito
disparent (§. antec.); adeoque vasa cutanea fluido erga-
se determinato supra modum resistere, atque hinc con-
stricta esse debent. Quia autem et distensione vasorum
cutaneorum ad oriunda exanthemata opus est (per an-
tec.), haec quoque ut in exanthematibus regressis subito
cesset,

cesset, oportebit. Quod ut contingat, fluidum ex vasis cutaneis vel per excretionem cito pereat, vel ad interiora subito reuehatur, necesse erit. Sed prius hoc loco non obtinet, ob stasis fluidi simul praesentem in vasis cutaneis (§. XVI.): posterius adeoque valebit. Fluidum igitur introrsum magis meabit. Q. e. p.

Quodsi porro exanthemata iterum producuntur: illa tunc in cutis superficie comparebunt (§. anteced.), hinc resistentia vasorum cutaneorum decrescere, seu illorum constrictio interire, vel quod idem est, vasa cutanea relaxari, et fluida versus illa determinari debent: utpote quae omnia ad genesin exanthematum necessaria sunt (§. XIV.). Quare et relaxatione vasorum cutaneorum, et fluidi versus cutis superficiem maiori directione opus erit ad iterum producenda exanthemata. Q. e. s.

§. XX.

Status ac- *Ex regressis exanthematibus aegri se peius habere,*
grorum ex- *regressis & imo vitae pericula subire debent, idque eo certius, quo*
productis *maligneria fuerint exanthemata, aut febre quadam si-*
exanthe- *matibus. pata; ista vero incommoda si non plane tolluntur, im-*
matibus. *minuuntur saltim, exanthematibus iterum producis.*
Nam quando exanthemata regreduntur, tunc fluidum
ex vasis cutaneis versus interiora meare cogitur (§. XIX.);
et

DE SCARIFICAT. REGRESSA EXANTHEM. REVOCANTE. 21

et quia illud successu temporis iam per se malignitatem quandam concipit, atque haec maiora augmenta capit, pro gradu malignorum exanthematum et pro ratione febris acutae, quae illis accedit (§. XVII.); hinc fluidum malignae indolis, ad partes interiores directum, omnes effectus ibidem patrabit, qui per adrosisem et putrefactionem in iisdem concitatam erunt possibles. Quare tum periculosisissimae viscerum inflammationes atque exulcerationes per quam facile suborientur, et aegrotantium vita in summo discrimine versabitur (per princip. Patholog.). Quoniam vero tantorum malorum causa sunt exanthemata regressa, his adeoque denuo productis illa quoque cessabit, hinc et effectus inde producti peribunt, vel saltem intinminuentur. Constat ergo veritas propositionis. Q. e. d.

Neque his etiam consensum suum denegat experientia. Neminem sane fugit, qui cum debita adtentione ante lectos aegrotum versatur, quanta damna ex scabie retropulsa in visceribus oriantur, ut phthisis, inflammations, heptica, et plura alia. Quam tristem euentum febres acutae malignae cito nanciscantur, exanthematis regressis, id innumerae obseruationes clinicae docent. Ex sectionibus enim cadauerum, quae istiusmodi morbis peribant, semper adparuit, inflammations in visceribus inde fuisse subnatas, quae sese in sphacelum subito terminabant, cum morte presso pede subsecuta.

C 3

§. XXI.



§. XXI.

Scholion. Egimus haec tenus de cute, huiusque variis affectionibus; atque huic fundamento theoriam exanthematum superstruximus, horumque tandem complures effectus in corpore euicimus. De quibus omnibus plura adhuc dici possent, si nobis animus foret, amplam harum rerum doctrinam tradendi. Quia autem hucusque dicta in se iam comprehendunt principia sufficientia, ad demonstrandum, quid scarificatio possit ad retrocedentia exanthemata denuo producenda; hinc supervacaneum foret, principiis ulterius inhaerere. Quare ad ipsam rem nunc proprius accedendum erit, et idcirco iam evinci debet, quanta si scarificationis efficacia ad iterum provocanda exanthemata, quae regrediebantur, et quo id modo ex principiis hucusque stabilitatis deduci possit; utpote quod in Dissertatione praesenti adhuc restat demonstrandum.

§. XXII.

Quid scarificatio in genere? Scarificatio in genere, dicitur operatio chirurgica, mediante qua sanguis ad minima quaque vasa cutis in certis ambitibus invitatur.

§. XXIII.

Quae scarificationis species? Scarificatio vel ita instituitur, ut sanguis ad vasa mini-

DE SCARIFICAT. REGRESSA EXANTHEM. REVOCANTE. 23

minima cutis invitatus insimul exinde evacuetur, vel minus. Quodsi prius fiat, tum *scarificatio in specie talis* esse dicitur, quae etiam *cruenta* appellari poterit; sin autem *posteriorius* perficiatur, tum *cœca* vel *sicca scarificatio* vocari solet.

§. XXIV.

De modo et instrumentis, quibus *scarificationis ope.* *Scholion.*
ratio perfici solet, non est, cur aliquid hoc loco dicatur.
Notissima enim haec sunt, atque in scriptis Chirurgo-
rum satis distinēte delineata. Quorsum itaque L. B. re-
mittimus. *Confer. Illustr. HEISTERI Chirurgia.*

§. XXV.

Ope scarificationis regressa exanthemata iterum pro- *Scarifica-*
duci possunt. *Scarificationis enim beneficio sanguis ad* *tio ad re-*
minima quaeque vasa cutis invitatur (§. XXII.). Sed *gressa ex-*
ista consideranda erunt tanquam vasa continua atque *anthemata*
inter se communicantia (§. VII.). Hinc sanguine ad *remedium.*
cutis vasa invitato, fluidum ad eadem notabiliter deter-
minabitur, eaque ultra modum distendet. Quum ita-
que exanthematum ortus, sine fluidi ad vasa cutanea
notabiliter perdurante determinatione, horumque ultra
modum facta distensione, concipi nequeat: iam dilucide
pate-

24 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,

Ipsa patebit, quantopere scarificatio regressorum exanthematum productionem iuuet. Q. e. d.

Plane congrua haec etiam sunt cum obseruationibus. Non semel docuit experientia Practicos, qui ex commendata scarificatione, ad tollendam vel praecauendam scabiem, prossus contrarium effectum ortum esse obseruarunt, dum pustulae scabiolasae scarificationem copiosius secutae sunt. Idem quoque illis contingere solet, qui se a purpura scorbutica vel urticata liberatur, vel defensuri, scarificationem instituere iubent.

§. XXVI.

Scarificatio erit remedium ad regressa exanthemata omnis generis denuo expellenda, siue illa fuerint acuta, siue chronica, siue benigna, siue maligna. Omnium enim exanthematum genesin uno eodemque modo tibi in genere concipere debes (§. XIV.). Quare scarificatio, seu remedium ad regressa exanthemata iterum prouocanda (§. anteced.), singulis illorum speciebus respondet, utpote quae tantum vel ratione typi, vel durationis, vel fluidi modo putrefacti, modo minus talis, inter se differunt (§§. XI. et XII.). Patet igitur veritas propositionis. Q. e. d.

Atque haec etiam experientiae respondent. De exanthematis chronicis docet Scholion §. anteced. ad acuta autem quod adtinet, consuli in hanc rem poterit celeberr. SCHREIBERVS in Observ.

DE SCARIFICAT. REGRESSA EXANTHEM. REVOCANTE. 25

serv. de Pestilentia Ucran. utpote morbo malignissimo exanthematico acuto, ubi institutae scarificationes, bubonum, tanquam exanthematum pestilentialium, productionem mirifice iuuerunt.

§. XXVII.

Quia scarificatio tam cum sanguinis euacuatione, *Scholion.* quam sine illa institui solet (§. XXIII.): e re esse videtur, hoc loco casus illos determinare, ubi cruenta vel coeca scarificatio obtineat.

§. XXVIII.

Quando exanthemata regressa graues in partibus nobilioribus inflammaciones, vel congestiones efficiunt, aut regressiuntur in corporibus plethoriciis: tum scarificatione cruenta conducatur. Quando
cruenta
scarificatio
conducatur.
opus erit, ad eadem iterum producenda; quando autem haec deficiunt, tum scarificatio coeca sufficere poterit. Et enim graues in partibus nobilioribus subortae inflammaciones, congestiones, et plethora, semper indicant sanguinis euacuationem (per princip. Therap.). Sed ope scarificationis cruentae sanguis euacuatur (§. XXIII.). Hinc in dicto casu magis valebit scarificatio cruenta ad provocanda exanthemata, quae retrocedebant. Quia vero extra hunc casum nulla ratio adest euacuandi sanguinis: hinc etiam scarificatio coeca (§. cit.) sufficere poterit regressis exanthematibus denuo producendis.

Q. e. d.

D

§. XXIX.

26 DISSERT. IN AVGVRAL. MEDICA, DE SCARIFICATIONE.

§. XXIX.

*Quod specia
lius de-
termi-
natur.*

Quum ex Pathologicis constet, in morbis acutis malignis regressa exanthemata grauissimas patrare inflammationes, aut congestiones in visceribus, quae in morbis chronicis non ita frequenter oboruntur: iam specialius patebit, ubi cruentae et coecæ scarificationi locus concedi debeat.

§. XXX.

Scholion.

Complura hic adhuc dici possent, de cautelis, quibus opus est partim ratione regiminis externi, partim etiam ratione instrumentorum ad scarificationem perficiendam necessariorum. De quibus vero quum admodum follicita Therapia agat: eo iam L. B. relegamus. Quam ob rem conferri meretur *Illustr. Dn. PRAESIDIS Therap. general. Sect. III. Cap. IX.* Hinc exposito themate, quod mihi pertractandum sumpseram, hic iam subsistere licebit.

T A N T V M.



MONSIEVR!

L'Experience est l'oeil droit auprès des Médecins : C'est pourquoi, quand quelqu'un veut devenir heureux Practicien, il faut, qu'il l'ait compagnie. Mais il est nécessaire principalement, qu'on apprend distinguer Experience de lui même d'elle d'autrui, pour appercevoir exactement la préférence de la première à la dernière, et en écoutant et en lisant les Experiences d'autrui, tâcher avec grand soin, à être suffisamment convaincu d'une chose par sa propre Experience. Ce dernier ne seroit si nécessaire, quand on pourroit se fier toujours aux Experiences reçues et écrites par des autres. Mais il se trouve souvent ce, que nous regrettons, que plusieurs commettent la faute de surreption, en ajoutant leur jugement, prononcé de l'une et de l'autre chose, donnant pour les Experiences ce, qui n'en merite le nom. Si l'on avoit regardé, depuis plus long tems, le grand peril

*peril et les mauvaises suites , qui sont produites
Sur tout en la Medicine, et si l'on y avoit pris
garde, la Medicine devroit, selon moi, étre déjà
parvenüe à plus haut degré de certitude. Je me
rejouis , Monsieur ! que je puis étre assuré de
Vous en celà pour le présent , parce que j' ai
connu , dans mon entretien , Vos estimables lu-
mieres. C'est pourquoi je crois , que la certitude
Vous conduira dans Votre Experience. Je Vous
souhaite donc un grand bonheur pour recompense
de Votre diligence à l'Université, et je Vous de-
mande extremement la continuation de Votre sin-
cere Amitié , comme Vous l'avez rendu jusqu' ici*

MONSIEVR!

au

à Halle le 20me
de Decembre,
1750.


Vôtre
Charles Henri Grossmann,
de Glogau en Silesie,
Etudiant en Theologie.

01 A 6576



TAOG


56,



Farbkarte #13

B.I.G.

| | | | | | | |
|---------|--|--|--|--|--|--|
| Black | | | | | | |
| White | | | | | | |
| 3/Color | | | | | | |
| Magenta | | | | | | |
| Red | | | | | | |
| Yellow | | | | | | |
| Green | | | | | | |
| Cyan | | | | | | |
| Blue | | | | | | |



IN AVGVRALIS MEDICA DE TICATI ONE ENVS REMEDIO A EXANTHEMATA PRODVCENDA

QVAM
VMINIS AVSPICIIS.
ET
CORVM ORDINIS CONSENSV
PRAESIDE
LLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
OMINO

ELIA BVCHNERO
ANI IMPERII NOBILI,
SIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
ATVR. PROFESSORE PVBL. ORDINAR.
ATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE
PALATINO CAESAREO,

DV DOCTORIS
MEDICINA HONORIBVS ET
RALIBVS LEGITIME OBTINENDIS
EMB. A. S. R. M DCC L.
H. L. Q. C.

A FRIDERICIANA
ICE DEFENDET
AVCTOR

IELMVS KRAVSE
OGOVIA - SILESIUS.

VRGICAE, TYPIS KITTLERI